



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rigor Moderatus Doctrinae Pontificiae Circa Usuras A SS.
D. N. Benedicto XIV. Per Epistolam Encyclicam Episcopis
Italiae Traditus**

Sancti Rigoris Specimina Exhibens - Mense Decembri M DCC XLVII

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii, 1747

Caput II. Specimen II. Sancti Rigoris. §.83. Usura Omni Jure Est Prohibita.
(§.11.18.)

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63759](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63759)

GEORG. à WIDMONT *Colleg. in Pandect. p. 4. lib. 2a. tit. 1. n. 6.*

ERNRICUS PIRHING, JACOB. WIESTNER, FRANCISC. SCHMALZGRUEBER, VITUS PICHLER *ad lib. 5. Decretal. tit. 19.*

ANTONIN. HEISLINGER *Resp. Moral. in caus. Just. commut. p. 2. cas. 6. n. 3.*



CAPUT II.

Specimen II. Sancti Rigoris.

§. 83.

Usura

USURA OMNI JURE EST PROHIBITA

(§. 11. 18.)

§. 84.

est prohibita

DOctrinam Pontificiam (§. 83.) de sola usura lucratoria & strictè dicta (§. 75.) intelligendam esse, extra dubium ponitur. Huic adversantur Doctores Aca-
tholici plerique: rigidissimè eam tenent & propugnant
Professores Ingolstadiensis. Nos hìc delibabimus aliquas
hujus doctrinæ probationes ex Jure I. Naturali. II. Divino.
III. Canonico. IV. Cæsareo-Romano. V. Germanico.

§. 85.

I. Jure

Rationes ex Jure naturali petitas contra usuram variè
versant Doctores. Omnes fundantur in illa Mutui lege,
ut loquitur Pontifex, (§. 6.) quæ necessariò in dati atque
redditi æqualitate versatur, contra quam ille agere con-
vincitur, quisquis eadem æqualitate semel posita plus
aliquid à quolibet, vi mutui ipsius, cui per æquale jam
fatis est factum, exigere adhuc non veretur. Cùm igitur
Jus

GEORG.

Jus naturale exigit, ut cujusvis contractus leges accuratè ferventur, contra jus naturale delinquit, qui contra contractus legem absque alio justo titulo aliquid exigit.

§. 86.

Ex hoc fundamento argumentum ita instrui solet. Qui usurarum patrociniū suscipiunt, eas pro usu sortis *naturali*, creditæ præstari dicunt; sive enim mercedis, pretij, accessionis, incrementi, compensationis, sive alio quocunque nomine appellent, conveniunt tamen, usuras deberi *propter usum*. (a) Jam verò jure naturali illicitum est, compensationem, pretium &c. exigere pro re, quæ omnino computari non potest, vel certè quæ sua non est: hoc autem facit usurarius, dum pro usu mutuatae pecuniæ aliquid exigit; usus enim pecuniæ ab ipsa pecunia separatus, seorsum computari non potest, pretio distincto; Sicuti qui vendit justo pretio substantiam tritici, nihil insuper pro ejus usu exigere potest, quia propter solum usum rem ipsam vendere potuit. Licet igitur vinum & vini usus, puta bibere, distinguantur in esse naturæ, non tamen in ordine ad commutationes; neque seorsim vendi potest vinum, & seorsim, quòd bibi possit; nam usus rei non valet, nisi quantum res ipsa, quæ usu consumitur. Vel saltem usurarius vendito vel locato usu pecuniæ, venderet aut locaret id, quod suum non est, quia ad eum pertinet rei usus, in quem translatum est dominium rei proprium, absolutum, & independens: hoc autem translatum est in mutuatarium. (§. 36.) Unde usuraria pravitas præcepto illo Decalogi est prohibita, *non furtum facies*, sicuti si quis rem plus justo vendat: locumque habet illud præceptum morale, *statera justa & æqua sint pondera, justus modius, æquusque sextarius*, (b) quo æqualitas in contractibus commendatur.

(a) L. 58. §. 6. ff. ad S. C. Trebell. vid. CUJACIUS *observat. lib.*
24. c. 40.

(b) *Levit. XIX. 36.*

rite intel-
lecto :

Hæ, similisque rationes convincere debebunt sanum intellectum, tum quia etiam ex Ethnicis illi, qui in morali doctrina singularem laudem habent, nempe PLATO, (a) ARISTOTELES, (b) CATO, (c) SENECA, (d) PLUTARCHUS, (e) naturalem turpitudinem in usuris agnoscunt: tum quia etiam Ecclesia (f) usuras Divinis Legibus prohibitas agnoscit: atqui Leges veteris Testamenti nos non obligant, nisi sint Leges Morales & ex jure naturali deductæ; Leges quoque Evangelicæ de contractibus & commerciis nihil statuunt, nisi ubi æquitas naturalis intercedit. Argumento hæc sunt, dari contra usuras Legem naturalem, quam confirmant, & promulgant Sacræ Literæ.

(a) lib. 5. de Legib. (b) lib. 1. Politic. c. 7.

(c) apud Ciceron. lib. 2. de Offic. in fin.

(d) de benefic. lib. 7. c. 10.

(e) περί τῆς μὴ δεῖν δαπέζου.

(f) Concilium Lateranense, relatum in c. 2. & 4. de Usur. Concil. Piennense, relatum in Clem. 11. de Usur.

§. 88.

II. Divino
veteris
Testamen-
ti,

Testimonia Veteris Testamenti contra usuras sunt sequentia. I. si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, nec urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes. (a) II. Si attenuatus fuerit frater tuus... ne accipias usuras ab eo, nec amplius quàm dedisti... pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, & frugum superabundantiam non exiges. (b) III. Non scenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem; sed alieno. Fratri autem tuo absque usura, id quo indiget, commodabis. (c) IV. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?... qui jurat proximo suo & non decipit; qui pecuniam suam

suam non dedit ad usuram. (d) V. Vir si fuerit justus, & ... ad usuram non commodaverit, & amplius non acceperit .. hic justus est, vita vivet. Quòd si genuerit filium.. ad usuram dantem, & amplius accipientem: nunquid vivet? non vivet.. quòd si genuerit filium, qui... usuram & superabundantiam non acceperit .. hic non morietur in iniquitate Patris sui, sed vita vivet. (e)

- (a) Exod. XXII. 25. (b) Levit. XXV. 35. seq.
 (c) Deuteron. XXIII. 19. 20. (d) Psalm. XIV. 5.
 (e) EZECHIEL. XVIII. 8. seqq.

§. 89.

Putant Usurarum fautores, Leges Veteris Testamen- ^{non solum}ti, quibus usuræ damnantur, ad solam Hebræorum Rem- ^{ad Hebra-}publicam pertinuisse, ne contra fratres & contribules suos foenus exercean- ^{os,}: licitum autem illis fuisse, usuras exigere ab alienigenis: (§. 88. III.) quod Deus minimè concessisset, si usuræ simpliciter essent inhonestæ, & æquitati naturali repugnantes. Quod confirmant ex eo, quia Moyses in præmium Hebræis promittit: *scenerabis gentibus multis, & ipse à nullo foenus accipies*: non est autem credibile, quòd DEUS in præmium servatorum præceptorum promittat rem intrinsecè turpem.

§. 90.

Ad hanc instantiam respondent alii I. (a) quòd acci- ^{sed etiam}pere ad usuram ab extraneis, non fuerit concessum Ju- ^{ad nos per-}dæis quasi licitum, sed permissum, ut scilicet pro hoc non ^{tinente:}punirentur poena temporali &c. Alii II. Illam fuisse comparativam permissionem, qua permittitur minus malum, ne majus malum fiat; sicuti permissus fuit libellus repudii ad impediendum uxoricidium: ita permissam Judæis fuisse usuram erga alienigenas, ne majori crudelitate grafsaren-

Diff. I.

F

saren-

farentur in suos, ut suæ satisfacerent cupiditati; nunquam tamen caruisse penitus culpa usuram Judæorum etiam erga gentiles. Alii III. licitum Judæis fuisse ab iis alienigenis usuras exigere, quos tanquam hostes bello justo poterant impetere, juxta illud: *Ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere*: (b) tunc verò non est usura strictè dicta, quia non ~~exigitur~~ titulo mutui, sed titulo belli justi. Alii IV. usuras ab alienigenis exigere, Judæis permissum fuisse divina concessione, cum Deus sit plenissimus rerum omnium temporalium Dominus. Alii V. usuras Judæis fuisse permissas jure talionis, cum etiam vicini populi à Judæis exigerent usuras. Pertinacis cerebri eum esse oportet, cui nulla ex his responsionibus satisfacit. Nostri autem instituti modò non est, ut pervicaces Catholicæ Doctrinæ impugnatores convincamus. Allegatus pro Confirmatione textus non est ad rem; nam *scænerare* illic accipitur pro eo, quod est simpliciter *mutuare*, juxta illud (c) *Qui facit misericordiam, scæneratur proximo suo. scænerare proximo tuo in tempore necessitatis &c.*

(a) S. THOM. de Malo q. 13. art. 4. ad 1.

(b) S. AMBROS. lib. de Tobia, cap. 15.

(c) Eccli. XXIX. 1. 2.

§. 91.

Et novi testamenti,

Legem veteris Testamenti contra usuras latam ad majorem perfectionem reducit Servator noster, qui non venit legem solvere, sed adimplere. Audiatur Divinum oraculum: *Si mutuum dederitis his, à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus scænerantur, ut recipiant equalia... mutuum date, nihil inde sperantes.* (a) Cujus textus sensum suprà dedimus. (§. 72.) Eò autem majore rigore hæc verba Christi contra usuras interpretre-

terpretari debemus, quo certius est, nullo alio Evangelii textu eas apertè damnari.

(a) LUC. VI. 34. 35.

§. 92.

Censet DOMINICUS SOTO (a) hunc Evangelii ^{contra} locum non illam habere energiam, quæ vulgo æstima- ^{quosdam} tur; ineptam glossam esse, quòd prius membrum (^{mu-} ^{auctores,} *tuum date*) sit consilii, posterius verò (*nihil inde sperantes*) præceptum: nullam illic edici prohibitionem injustitiæ usurarum, sed commendationem fieri misericordiæ mutui. Fatetur quidem, quòd URBANUS III. (b) Pontifex eundem locum ad confirmandam usurarum prohibitionem allegaverit: sed respondet, quòd Papa non ubicunq; citat testimonia sacre Paginæ in aliquo sensu, intendit canonizare eundem sensum tanquam de fide; sed citat quandoque illud secundum Doctorem opinionem. Ita DOMINICUS SOTO, illustre Ordinis Prædicatorum fidus, cui bene vertat, quòd in Academia Ingolstadtensi Professore non egerit; secus, proh, quàm acerbis exprobrationes per exclamationes, interrogationes, aliàsque figuras Rhetoricas agglomeraret R. P. Concina, quòd ejusmodi Auctor unicum Evangelii textum contra usuras, Ecclesiæ eripiat; quòd contra Conciliorum, & SS. Patrum communem interpretationem verba Christi intelligat! diceretur foedus iniisse cum hæreticis, séque cum iisdem Ecclesiæ doctrinæ opponere &c. O si eandem mansuetudinem Fr. Daniel erga alios de Republica Christiana optimè meritos Viros exhiberet, qualem ostendit (c) erga Dominicum Soto, longè aliam faciem, & Auctore Religioso digniorem præferrent Libri Conciniani.

(a) *De J. & J. lib. 6. q. 1. art. 1.*

(b) *C. 10. de Usur.*

(c) *Comment. fol. 95. &c.*

*meliùs ex-
plicati à
SS. Patri-
bus.*

Ad quemcunque sensum allegati textus tam veteris, quàm novi Testamenti à nonnullis detorqueantur; potior nobis est Conciliorum & SS. Patrum auctoritas, qui dictis S. Scripturæ verbis usuram lucratoriam prohiberi ac damnari affirmant. Concilium Lateranense sub ALEXANDRO III. asserit, usuras *utriusque Testamenti pagina* condemnari. (a) Concilium Viennense *contra jura Divina* pariter & humana facere eos definit, qui usurariam approbaverint pravitatem. (b) S. BASILIUS, (c) GREGORIUS NISSENIUS, (d) AMBROSIUS, (e) HIERONYMUS, (f) AUGUSTINUS, (g) aliique copiosè ac eloquenter usurariam labem ex S. Scripturæ testimoniis insectantur, adeò ut ex mente allegati Concilii Viennensis velut hæreticus puniendus decernatur, qui pertinaciter affirmare præsumpserit, exercere usuras, non esse peccatum. Quæ definitio liquidò supponit, pravitatem usurariam inter revelatas divinitus veritates numerandam esse.

(a) C. 3. de Usur. (b) Clem. un. de Usur.

(c) In Psalm. 14. (d) Homil. 4. in Ecclesiastem. Item Orat. contra Usurarios.

(e) Lib. de Tobia. fere per tot.

(f) In cap. 18. Ezech. (g) In Psalm. 36. serm. 3. & alibi.

*III. Jure
Canonico.*

De Prohibitione Juris Canonici non opus est multa dicere. Canones Apostolorum, (a) Concilij Illiberitani, (b) & Nicæni, (c) aliique plures relati in Decreto Gratiani, (d) in Decretalibus Gregorij IX. aliorumque sequentium Pontificum, (e) indubitata sunt argumenta sancti Rigoris, quo semper Ecclesia usa est contra usurarum crimen, statutis etiam gravissimis pœnis, dum usurarij I. declarantur infames. (f) II. non admittuntur ad Sacramentum

mentum Confessionis, nec ad Communionem Altaris, nec ad Sepulturam Christianam; nec oblationes eorum, quæ rapinæ censentur, recipiuntur, nisi poenitentes pro facultatum suarum possibilitate usuras restituerint, vel de restituendis cautionem præstiterint. (g) III. fiunt Irregulares, & promoveri nequeunt ad ordines. (h) IV. Clerici ad Beneficia & officia Ecclesiastica non promoventur, & ab obtentis suspenduntur, aut omnino deponuntur. (i) V. Laici excommunicantur. (k) VI. Contrahunt intestabilitatem activam. (l)

(a) *Can. 43.* (b) *Can. 20.* (c) *Can. 17.*

(d) *Dist. 47. item caus. 14. q. 3. & 4.* (e) *tit. de Usuris.*

(f) *C. 2. §. porro. v. aliquando. III. q. 7. item c. 11. de Excess. Pralat.*

(g) *C. 3. de Usur. c. 2. eod. in 6.*

(h) *C. 2. d. 33. c. 8. d. 46. c. 4. d. 47.*

(i) *C. 5. d. 47. c. 7. de Usur. c. 11. de Excess. Pralat.*

(k) *C. 7. de Usur. (l) c. 2. de Usur. in 6.*

Hanc poenam non tantum Juris Canonici, sed etiam Legum interpretes Ingolstadienses agnoscunt & statuunt, VIGLIUS ZUICHEMUS *in tit. Inst. quib. non est permiss. facere testam. in fine.*

FRANC. ZOANETTUS *in eleganti disputatione, antestamentum ejus, qui postea manifestus usurarius evasit; ob id irritum fiat.*

FACHINEUS *controv. Jur. lib. 5. c. 63.*

CASPAR. MANZIUS *de testam. valid. vel inval. tit. 2. n. 254.* qui eam poenam ex Statutis Bavaricis variè extendit.

GEORG. à WIDMONT. *Colleg. in Pandect. part. 5. lib. 28. tit. 1. n. 78.*

§. 95.

In Jure Civili Romano varia diversis temporibus fuerunt usurarum fata. Primum jure duodecim Tabularum sanctum, ne quis unciario scœnore amplius exerceret, cum antea

IV. Jure Civili Romano antiquiore,

antea ex libidine locupletum agitaretur. (a) Minimæ igitur tum permittebantur usuræ, ut pro centum mutuò datis singuli quotannis penderentur. (§. 80.) Lex ista fortè sequentibus annis antiquata, C. Martio, & Cn. Manlio Cofs. in usum revocata videtur anno urbis 396. quo tempore de unciario fœnore à M. Duilio, & L. Manio Tribunis plebis rogatio est perlata, à plebe aliquanto cupidius scita acceptaque. (b) Decem annis post Duilij rogationem, T. Manlio Torquato & C. Plautio Cofs. semiunciarium tantum ex unciario fœnus factum, ita ut de sorte centum Numorum singulis annis non nisi medium Numum exigere liceret. (c) Demum Romæ sublatum omne fœnus, & vetita versura, multisque plebiscitis obviam itum fraudibus, quæ toties repressæ miras per artes rursus oriebantur. (d) Diuturnus non fuit iste rigor: nam postea Edictis Prætorum, tum etiam Senatus Consulto approbatæ fuerunt usuræ Centesimæ. (e)

(a) TACITUS *lib. 6, Annal. cap. 6.*

(b) LIVIUS *lib. 7. c. 16.*

(c) *Ibid. c. 27.*

(d) TACIT. *loc. cit.*, add. APPIANUS *lib. 1. de bell. civil.*

(e) Vid. CICERO *lib. 5. ad Attic. epist. ult.*

§. 96.

& recentiore,

Centesimæ igitur usuræ erant gravissimæ, (a) maximæ, (b) & legitimæ, (c) eo quòd legibus prohibitum esset, majores stipulari. Novus tamen usuris modus positus, & quantitas definita à JUSTINIANO, *veterem duram & gravissimam earum molem ad mediocritatem deducente*, (d) ne Illustres excedant trientem Centesimæ: ne Mercatores bessem: ne reliqui semissem excedant. Ab Agricolis pecuniæ nomine trientem duntaxat exigere fœneratores poterant. (e) Usuram Centesimam permittit Justinianus stipulari

pulari nomine pecuniarum trajectitiarum (quæ traduntur navigaturis periculo creditoris) & specierum foenori datarum , quo nomine intelliguntur species annonariæ , uti oleum , vinum , frumentum. Ab agricolis ex causa frumenti crediti , in singulos modios octavam modij partem exigere permittebatur , quæ usura aliquanto major est quàm usura centesima. (f)

- (a) l. 7. §. 8. ff. de administr. tutor.
- (b) l. 38. ff. de negot. gest.
- (c) l. 1. §. 3. ff. de pignor. l. 7. §. 4. & 10. ff. de administr. tut.
- (d) l. 26. §. 1. C. de Usur.
- (e) Nov. 32. & 34. c. 1.
- (f) Rationem , cur major usura permittatur frumenti , quàm pecuniæ , tradit PEREZ ad tit. Cod. de Usur.

§. 97.

An autem & quasnam usuras Leges Civiles approbent , aut solùm permittant , res est implicatissimæ quæstionis , nec præsentis Instituti. Ajunt ; in Jure Justiniano approbati solùm usuras Punitorias , (§. 75.) *Usuræ bat, quod ali- quas usu- ras appro-* enim non propter lucrum petentium , sed propter moram solventium infliguntur. (a) De his stipulandi formulam leges exhibent. (b) Putant autem Doctores , talem pœnam potuisse imponi à Legislatoribus moroso debitori , sicuti dominus rei furtivæ à fure non posset privata auctoritate duplum exigere , potest tamen exigere auctoritate publica , lege hanc pœnam constituyente.

- (a) L. 17. §. 3. ff. de Usur.
- (b) L. 40. ff. de reb. cred.

§. 98.

Aliquæ usuræ etiam in legibus civilibus sunt apertis *alias im-* verbis improbatæ , quales sunt , quæ supra legitimum modum solvuntur : (a) item usuræ usurarum , (b) quando *probat,* sci-

scilicet usura fortis non soluta redigitur in ipsam sortem, & ei quasi coalescit, ut nova inde usura exigatur, quod *Anatocismus* dicitur. Item usuræ excrecentes in alterum tantum: (c) de quarum praxi non profus concordēs sunt Juris Civilis Interpretes. (d)

(a) L. 26. pr. ff. de condict. indeb.

(b) L. 29. ff. de Usur. l. 28. C. eod. l. 27. ff. de re jud.

(c) L. 10. C. de Usur. Novell. 121. & 138.

(d) Vid. TABOR. tr. de altero tanto. STRYCK. de usu modern. Pandect. lib. 22. tit. 1. §. 16. 17.

§. 99.

alias tolerat.

Alia Usuræ ex stipulatione debitæ, tolerari in Jure Civili dicuntur, velut malum quoddam necessarium, cum non soleant Legislatores omnia, quæ honesta sunt, præcipere, vel omnia, quæ turpia sunt, prohibere. Hic Legislatorum Civilium animus colligitur ex Novella Constitutione Leonis Imperatoris, quæ haud obscure usuras damnat, & tamen trientes permittit. (a) Justinianus quoque saltem tacite usuras reprobatur, dum servari jubet Decreta Concilii Nicæni, (b) usuras prohibentis. (§. 94. c.)

(a) Novell. Leon. 82.

(b) Novell. 131. c. 1.

§. 100.

V. Jure Germani.
60.

Religiosiores fuere semper Germani, quorum Leges tam antiquæ, quàm recentiores unanimi calculo detestantur usuras. Antiquissimis Germanis adeò ignotum fuit foenus, ut ad illud cohibendum prohibitionē opus non fuerit. (a) Postquam autem populi hujus simplices mores mixtione aliarum nationum corrupti fuerunt, oportuna identidem remedia adhibebantur. Sub Regibus Francis

Francis gravissima Decreta edita fuerunt contra usuras, quod Capitularia illorum Regum ac Imperatorum passim demonstrant. (b) Horum vestigia secuti sunt posteriores Imperatores MAXIMILIANUS I. (c) CAROLUS V. (d) MAXIMILIANUS II. (e) RUDOLPHUS II. (f) Ad harum autem Legum Imperialium præscriptum etiam statuta Provinciarum & Civitatum, (g) præsertim Baviaræ nostræ prohibent, & sub poena amittendæ sortis damnant usuras, à sancta Christiana Ecclesia prohibitas, uti pietate observatu digna loquuntur Statuta Provincialia Baviaræ. (h) Neque Principes Imperij, quamvis sæpius sollicitati, unquam ausi fuerunt, usuram lucratoriam & strictè dictam publica lege comprobare. (i) Quando igitur varia referuntur documenta, (k) de Usuris per plura elapsa sæcula exactis, aliud inde inferri non potest, quàm verissimas fuisse querelas Summorum Pontificum, & Concilij Viennensis, (l) quòd usuraria pravitas in plurimis locis invaluerit, & etiam statutis quorundam particularium locorum approbata fuerit.

(a) TACITUS *de Morib. German.* c. 26.

(b) *Capitular. lib. 1. c. 5. lib. 2. c. 38. & alibi passim.* item in *Legibus Lotharij I.* c. 19.

(c) *Rec. Imp. Augusta ann. 1500. tit. 31.*

(d) *Reform. Polit. Augusta ann. 1530. tit. 26. 27. & ann. 1548. tit. 17.* item *Rec. Imp. Ratisbon. ann. 1532. tit. 8.*

(e) *Rec. Imp. Spira ann. 1570. §. 83.*

(f) *Ordinat. Polit. Francofurti ann. 1577. tit. 17.*

(g) Legi merentur *Statuta Norimbergensia de ann. 1479. tit. 22. leg. 3. Urbis Friburgensis in Brisgoja de ann. 1520. tract. 2. tit. 1. Wirtembergensia de ann. 1552. fol. 12. &c. Stettinensia*, quibus adjecta sunt Mandata gravissima contra usurarios *de ann. 1567. & 1568.* CHRISTIANUS III. Rex Daniæ ann. 1553. consuluit viros doctos illius temporis in Germania, ex quibus unus censuit, posse fieri Constitutionem, qua pœnæ statuuntur in usuras quincuncibus majores: alter autem, nempe HIERONYMUS SCHURPH Jctus judicavit, nec mi-

Diff. I.

G

nones,

nones quidem usuras debere auctoritate publicæ Constitutionis esse impunitas. Vid. LUDEWIG *Reliq. MS. Diplom. tom. 5. lib. 2. n. 16.*

(h) *Ordin. Polit. lib. 2. tit. 1. art. 1.*

(i) MELANCHTHON in Responso Juris ad Regem Daniæ apud LUDEWIG *loc. cit. n. 14.* testatur, multa de his rebus agitata esse in *Comitiis Imperii Ratisbon. ann. 1541.* occasione Edicti, quo Carolus V. in provincijs suis hæreditarijs reprobaverat usuras, quæ excederent Centesimas: responsumque esse, quòd uti Justinianus, ita & Carolus nullas usuras, neque majores neque minores approbet: sed solummodo nolit punire moderatas; cùm Princeps satis præstitisse censendus sit, si majora scelera pœnis cohibeat.

(k) apud BOEHMER *Jur. Eccles. Prot. lib. 5. tit. 19.*

(l) *C. 3. de Usur. Clem. un. cod.*

§. 101.

*Contra
Usuras
interpretatur
Fur
ra Bene-
dictus
XIV.*

Datam hucusque Legis naturalis & Divinæ interpretationem confirmat, Legibus simul humanis usuram permittentibus se opponit SS. D. N. BENEDICTUS XIV. dum in Literis suis Encyclicis usurarum Patronos non modò Divinis documentis, & Catholicæ Ecclesiæ judicio, sed ipsi etiam humano communi sensui, ac naturali rationi procul dubio adversari (§. 11.) labemque istam ac vitium à Divinis Literis vehementer improbari (§. 18.) decernit. Quamvis enim tum alia quædam vitia, tum etiam usuræ Judæorum in multis Regionibus liberè permittantur; nulla tamen occurrit necessitas aut utilitas dissimulandi inter Christianos pravitatem usurariam, cùm ex una parte difficillimè usurarij à noxijs excessibus cohibeantur, ex altera parte varij alij tituli in mutuo, ac alij à mutuo distincti contractus suppetant, per quos negotiationes in Republica promoveri, & lucrum ex collocata pecunia obtineri licitè possit. (§. 7. & 8.)

§. 102.

§. 102.

Idem quod BENEDICTUS docet, tenuerunt hucus-^{& Pro-}que Professores Ingolstadienses, qui usurariam pravita-^{fessores}tem, tanquam juri naturali, Divino, & positivo huma-^{Ingolsta-}no adversantem, semper & unanimi calculo detestati, ^{dienses.} idque publicè in libris suis professi sunt. Non opus est repetere eorum nomina, suprà posita, (§. 82.) cum ex illis nemine excepto Pontificiam hanc doctrinam propugnent omnes.

His addi possunt, qui Ingolstadienses Cathedras ornarunt, plurimè alij, inter quos primum locum jure meritissimo obtinet Academiae hujus Rector Magnificus, & fidei Catholicae per Germaniam Columnen firmissimum Vener. PETRUS CANISIUS, qui in *opere Catechistico cap. 5.* ubi de Virtutibus Cardinalibus agit, diligenter notat loca Veteris ac Novi Testamenti, Sanctorum etiam Patrum contra usuras, quae nos allegavimus.

Item ANDR. FACHINEUS *Controvers. Jur. lib. 9. c. 30.*
NICOL. EVERHARDUS *Junior, vol. 1. Consil. 8.* cui subscripsit Facultas Theologica & Juridica Ingolstadiensis.

JACOB. WEX *Ariadn. Canon. p. 4. decad. 1. cas. 9. n. 28.*

FRIDER. MARTINI *de Jure Censuum Cap. 1. n. 35. seqq.*

CHRISTOPH. de CHLINGENSPERG *Colleg. Jur. Civil. lib. 3. tit. 15. q. 2.*

Sunt etiam in manibus Theses Theologicae plurimae, quarum publica propugnatione futuris in Academia Ingolstadiensi Theologicis Praelectionibus, ibidem proluserunt famosi postea Theologiae Professores OSWALDUS COSCANUS, LAURENTIUS FORERUS, SIMON FELIX, GASPAR LECHNERUS &c. qui omnes contra usuras, tanquam omni lege prohibitas, pronuntiant.

